



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,
in visitationem Saxoniam**

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1564

De caußis Matrimonialibus, cap. 38.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35803

possumus. Hæc ibi. Intelligenti autem satis dictum est. Toties enim conuictus est (Illust. Princeps) Lutherus tuus, vt pudor sit maximus, apud nos Germanos adhuc dubitari. Quid enim omissum est ab Anglis, Francis & Italis, atque etiam à Germanorum complurimis? Quid profecerunt hactenus dogmata eius? nonne & à suis iam partim contemnitur, partim deseritur atque etiam impugnetur? Quo abierunt vanissimæ eius iactentiæ? O te miserum & obstinatum in malo, si nondum incipis cogitare nouissima.

De caussis Matrimonialibus.

CAPVT XXXVIII.

Quod Matrimoniũ negauit sacramentum esse Lutherus, nunquã æquo (arbitror) tulisset animo Laicus, nisi ab eo ad seditionem vsque cruentissimam oppugnatus esset clerus. Quis enim nostrũ adhuc hodie apud Laicos tutò dicere possit (quod ille publicè dixit & scripsit) non minus infidelium quàm fidelium vera esse Matrimonia? Et cum apud fideles quoque impij sint coniuges, quibusuis gentibus peiores. Cur hinc sacramentum dici debeat, & non apud Gentiles? Et tamen idem ipse semel dicit Matrimoniũ diuinitus institutum esse. Et in quodam sermone pulchrè, probat ex Paulo Ephe. 5.

*In Cap. Ba**bylo. cap. de**Matrimon.**In sermo. de**Matrimon.**Anno 19.*

*Ibidem.**In sermo. de
Mose.**In cap. Ba-
byl.
In lib. de
Matrimon.*

Matrimonium verè sacramentum esse. Quan-
tam verò confusionem contra sanguinem &
honestatem publicam Matrimonio maliciosè
inducit? Quot figit ac refigit ibi leges? Quis
ei potestatem dedit, antiquas Ecclesiæ leges
abrogare, & nouas, easque turpissimas, con-
dere? Admonet & rogat omnes sacerdotes
& fratres, vt prorsus omnia ea Matrimonia
confirmet, quæ contra Ecclesiasticas vel Pon-
tificias leges quoquo modo fuerint contra-
cta. Quanta hinc sequuntur scandala, & turpi-
tudinis & inobedienciæ? Quâdo igitur plura,
vel visa, vel audita sunt scandala, leuitates,
discessiones, rixæ, scelera inter coniuges e-
mergentia, quàm hoc Luthericæ doctrinæ
decennio? Reiecit enim impedimenta affini-
tatis, spiritualisque & legalis cognationis, at-
que etiam consanguinitatis, vt ij tantû gra-
dus excipiantur, quos Moses posuit Leuitici
xviij. Licet plærunque dixerit, nos non teneri
lege Mosi, at in Babylone sua Latina, & in
Priapeio suo Teuthonico, quod de Matrimo-
nio inscripsit, & in Epithalamio suo
plus quàm Turcico, quod in septimum caput
primæ ad Corinthios Epistolæ scripsit, eos
tantû gradus, quos Leuiticus habet, connu-
merari vult. In reliquis omnem præbet licen-
tiam, Vnde infert, quòd liceat vnicuique du-
cere vxorem fratris, aut sororis suæ filiam vel
neptè, quia non prohibetur à Mose in Leuit.
Sed & liberos duorum fratrum aut sororum

Matrimonio coniungere audet eadem ratione. Quia Deus prohibuit (inquit) sororem patris, sed non filiã fratris. Permittit itẽ, vt mortua vxore, ducat quis illius sororem, aut filiam fratris, aut patru eius, aut sororum eius filias. Imò & hoc vult liberum esse, si quis ducere velit vxorem fratris sine liberis defuncti. Tollit item omne impedimentum cõpaternitatis & adoptionis, nõ alia ratione, nisi quia in Leuitico non habetur, sed & cum Turcis & Iudæis Christianos coniugiũ inire permittit, *Esd. 9.* cũ tamen non ignoret, hoc in veteri lege prohibitum fuisse Iudæis, ne alienigenas ducerent vxores. Scãdalosissimẽ prætereà inuitat ad ea exẽpla, vbi Abrahã duxit Sarã filiã fratris sui. Amon filius David cõcubuit cum Thamar sua ex patre sorore, & David vxorẽ duxit Bethsabem vxorem Vriã interfecti, quã prius adulterio polluerat. Quoties verò suadet & approbat sacrilega sacerdotum Monachorum & Monialium connubia? Et tamen in Babylone sua, votum castitatis inter ea adhuc ponit impedimenta, quæ non modò contrahẽdum, sed etiam contractum iure dirimant Matrimoniũ. Sed & hoc pulchrum est eius religionis specimen, quo suadet vxori, quæ viri impotentia *In cap. Babylona* secundum iuris ordinem probare, nec possit nec velit, velit tamẽ habere prolẽ, aut nõ possit cõtinere. Huic, inquã, consulit legifer iste, vt diuortium à viro impetret ad nubendum alteri. Si autem vir nolit, tum consulit, vt cum

consensu viri misceatur alteri, vel fratri mariti, occulto tamen Matrimonio, & proles imputetur putatio (vt dicunt) patri. Vltorius, si vir nollet consentire, nec diuidi vellet, antequam permetterem (inquit) eam vri aut adulterari, consulerem, vt contracto cum alio Matrimonio, aufugeret in locum ignotum & remotum. Cui simile est & illud, quod in suo consulit Priapelo, nempe vt diuortio propter adulterium facto, persona innocens aliud quærat coniugium: persona autem rea, si non interficiatur, nec reconcilietur priori coniugi, discurrat inde in regionem longinquam, & ibi aliud ineat coniugium. Ex his itaque præclaris consiliis eius factum est, vt intra paucos annos Vvittembergæ ac alibi tot patrata sint scandala Matrimonij, tot adulteria, tot dissidia diuortiæque coniugum. Nuper verò, cum noua exoriretur quæstio inter Lutheranos de sacerdotum coniugio, an liceret eis, priore vxore mortua, secundã ducere: Cùmque aliqui eorum de facto iam secundam duxissent, aliqui verò dicerent, id non licere, iuxta illud Apostoli, Sit Episcopus vnus vxoris vir. Tum legislator iste nouus nouã lege statuit, vt liceat Episcopo, vxore defuncta, ducere aliam, non solum secundam, sed & tertiam, quartam, quintam, sextam. &c. Errant igitur (inquit) qui Digamiam à Paulo damnari in Episcopis hoc loco sentiunt, Rei quoque sunt blasphemix & in opus

In propositionibus de Digamia Epif.

1. Timo. 3.

Dei, & in verbum Pauli, quod Digamiam inter crimina censent. Et multò scèdus errant, qui honestam viduam Episcopo vxorem prohiberi à Paulo docent. Sed & ipsimet Christo & Paulo impiè pugnant, qui digamiam Episcopo prohiberi, pertinaciter asserunt. Hæc ipse. Quando autem obiicitur ei, vnius vxoris vir. Ait, Inter gentes quidem, quibus pluralitas vxorum, quàm Mosaïca lex statuit, pro crimine, & scádalo censetur. Episcopus vnius vxoris vir esse cogitur, tamen inter Iudæos, hoc instituto Episcopum ligari, non potest certò demonstrari. Siquidem nota sunt (inquit) iura Mosaïca de fratris defuncti vxore, & de filia corrupta inuito patre, quæ cogunt plurium esse vxorum virum. Quæ non magis sunt abrogata quàm reliqua omnia, id est, libera, nec prohibita, nec præcepta. Tandem in fine sic concludit. Quid multis? nullius (inquit) gentis aut linguæ vsu digamus dicitur, qui plures successiuè vxores seu viduam duxerit, sed natura vocabuli Digamus in tantum dicitur, qui simul plures vxores habuerit. Qualis fuit Lamech ille, Gene. 4. Abraham quoque & Iacob, non tantum sacerdotes, sed & Christi & prophetæ à Deo appellati. Logomachia igitur & prophana Papistarum Cenophonia est, Digamū, deprauato vocabulo dici, qui vnius secundæ aut viduæ, aut corruptæ maritus fuerit. Hæc ibi. Ecce tibi (Illustrissime Princeps) vxorij huius Monachi tui monstra in Chri-

Cenopho-
nia. i. vocis
inanitas.

DE VOTO CASTITATIS.

Christianismo, quæ neque in Iudaismo, neque in gentilitate vsquam vel permissa, vel facta leguntur. Nam si verba eius rectè expendas, nõ solum laicis, sed etiam Episcopis, duas, tres, aut plures vxores simul habere permittit. Negat enim Digamiam Episcopo prohiberi: Digamum autem dicit eum qui plures vxores, non successiuè, sed simul habet. Et Mosaica iura de vxorum pluralitate vult nobis esse libera, nec prohibita, nec præcepta. Vbi audisti, obsecro, aut legisti vnquam similia? quæ gens vnquam aut vsquam Episcopos habuit sic digamos? Certè nec Laici gentiles Romanorum sic digami erant, & Iudæorum summa sacerdoti non nisi vna erat vxor, quam virginem accipere debuit ex lege, Leuitici vigesimoprimo. Proh spurcissimum ac libidinosissimum cucullum.

De voto Castitatis.

CAP. XXXIX.

*In lib. de
vita coniugali,*

VOtum castitatis infectatus est iam multis annis, multisque libris, bestialissimè docens in Priapeio suo, ex hoc verbo Dei: Crescite & multiplicamini: nos certos esse, quòd vir & mulier debent & coguntur coniungi, vt multiplicentur. Quapropter, sicut in potestate mea non est (inquit) quo minus sim mas, ita minimè situm est in me, vt sine muliere sim.